



Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Invictissimo, Avgvstissimoqve Romanorvm Imperatori Ferdinando II. Nec
non Serenissimis Illvstrissimisqve Principibvs Ioanni Swichardia
Cronenburch, Moguntinensi, Lothario A Metternich Trevirensi, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)



INVICTISSIMO, AVGYSTISSIMOQVE ROMANO-
RVM IMPERATORI

FERDINANDO II.

Nec non

SERENISSIMIS ILLUSTRISSIMOQVE
PRINCIPIBVS

IOANNI SWICHARDI A
CRONENBURCH, MOGUNTINENSI,

LOTHARIO A METTERNICH
TREVIRENSI,

FERDINANANDO BAVARIAE
DUCI &c. COLONIENSI,

S. R. IMPERII ELECTORIBVS ECCLE-
SIASTICIS.

Dominis suis Clementifs.

JO. A CHOKIER,
dedicat consecratq.



MAjestati & Celsitudini nominis Vestri, ut spero, minus ingratum erit, si in Primarias Preces primam hanc & à nemine tentatam lucubrationem, inter bellicos tumultus armorumque fremitus, quibus, proh dolor, Germania nunc concutitur, sub Auspicio Vestro in hanc tristem temporum lucem emitto.

Secutus enim sum Athenodori illius Philosophi sententiam, qui dubio in rerum statu, bonum civem secedere quidem permittebat, sed non ut desidem vitam, nisi pro Imperio, pro publicare quod antenus certantem traduceret: nunquam enim inutilis est opera civis boni.

Ut igitur me unum de plurimis in hac Leodiorum Germaniæ aliquid pro mea virili atque conditione publicè molientem vidi, cupido ecce incesit INVICTISSIME CÆSAR, PRINCIPESQUE SERENISSIMI, ea sub cacumen calami committere, quibus has inter belli calamitates litium bella, quæ circa Primarias Preces enasci possent, si non penitus tollerentur, certè, quoad per me licitum esset, minuerentur. Quod propositum, eo tenacius in hæsit mihi, quo scirem non minoris esse laudis, studio civilis sapientiæ res urbanas componere, quam res militares viribus tractare, quippè magis secundum naturam hominum existunt, quæ ad conservandam atque amplificandam inter homines vitæ societatem, quàm quæ ad arcendam, minuendam, atque tollendam vim maiorem pertinent: plusque de Repub. mereri videtur, malo qui adveniendi occurrit, quam qui iam admissum oppugnat, propulsat, profligat. Plura non addo, bene conscius tenuitatis meæ, Magnitudinis Vestræ; quarum illa facit, ut huic chartæ consecrationi finem faciam, ista ut demissè rogem MAIESTATEM, CELSITVDINESQUE VESTRAS, novam ut hanc scriptionem æqui bonique consulant, & accipiant cæu observantia in illas meæ æviternum sincerumque monumentum.

Valeto.

DEDICATORIA.

Valete, vincite, regnate: ita quotquot Orthodoxi in Imperio
sumus, ex animo vovemus: quousque enim stabit Imperium,
tandiu sæculum stabit: ubi illud concidet, & istud ruet, non
meum, sed Ferrulliani, Optati Milevis, aliorum est iudicium,
ergo iterum valete, vincite, regnate,

Leodio 3. Non. Ianuarij M. DC. XXI.



INDEX